similius? patria nunquid utriq Scotia fuit? monachum pri-
mo induit uterq, anachoreticam vitam ambo deniq elegerunt,
uterq etiam animarum curam populi conuersionem suscepit. sed
prophetiae spiritum quis utriq negauerit, Beatus quidem Eusebius
aperte illum habebat. Gallus vero occulte unde enim vox illa
venerabilis senis, haec requies mea in saeculum saeculi, excidere po-
tuisset. unde Beati Columbani mors praeuisa praescitaq fuisset,
quid deniq opus erat tam solemni huius loci dedicatione, cum
ieiunio, cum precibus, cum lachrimis, nisi quia praeuidebat S.
P. quis et quantus hic olim locus esset futurus. praeditum
itaq fuisse prophetiae spiritu minime dubito, sed sub cortice
humilitatis, sub defectu occasionis latebat, iam vero de mar-
tyrii corona ne contendam quidem, quis enim si exantlatos
pro Christi nomine labores, per mare per terras, si feruore-
m si Zelum in seminando Dei verbo, si interritam in con-
quassandis idolis, in vitae periculis constantiam legat, nō
illum alterum Paulum dixerit, ecce simillimus adhuc
uterq. sed aetatem quis forte requirit? ea certe ~~sic~~ si non
par fuit haud sane multum distabat, quid multis disputo?
in parente filium, in filio parentem quis non dilucidè videt.
quae autem te causa impulit fortissime athleta, ut parent-
em imitatus, spretis mundi illecebris, à divitiis ad pauperi-
em, à libertate ad iugum, ad carcerem, ad claustrum, à de-
litiis ad laborem, à vita deniq ad mortem, si tamen mors illa
dicenda est non vita potius, sponte te contuleris? ô te fe-
licem transfugam! ô felix ille tuus è patria domo discessus.

License: CC-BY-NC – Zürich, Zentralbibliothek, Ms. D 147, f. f.%20323r – Collection of oratory practice pieces in Latin by novices at the monastery of St. Gall, 1660 (http://www.e-codices.ch/en/zbz/D0147/f.%20323r)